



Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos & Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Margaretham Saffoiam quid in morbo sit consolatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

362 Cap. XXXIV. Morborū decim. sexta cauſſ. ut futura meditemur.

ſuos, quos, experiuntur carni ſuę infixos, cum cruciatibus illis conferunt. Et cogitetur, qui decumbit, quām graue ſit, alligari lecto? cogitetur, quām ſæpe immensos dolores renibus, lateribus, cordi ipſi inhærentes perſentifcat? cogitetur, quoties optet, ſi nox eſt, orīri diem; ſi dies, venire noctem? quām calidis votis cūpiat, morbi periodum transiſſe? Et tamen hæc omnia, nihil ſunt, ſi cum futuris comparentur. Quæ tanta morbi vlliſſus potest eſſe acerbitas, ſi ad flammatæ medullas intimas penetrantis inæſtimabilem acerbitatem æſtimetur? ſæpe igitur, qui æger, ſolus, in doloribus cubat, ſecum reputat: Si hæc pati non poſſum, quomodo patiar infernum? Si nequeo tolerare febrilem ardorem, quomodo tolerabo gehennam ignis? cùm illud legatur: *Quis poterit habitare de vobis, cum igne denorante?* *Quis hababit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Sic ratiocinantur, & peccata deteſtantur, maluntq; pati per annum, quām per ſeculum, qui nōrunt morbis vti peccatores.

IIa. 33. 14.

II.
Pius lib. 3.
Ord. Præd.
Anno 1465.

Quæ cogitatio etiam alias animas sanctiores multū conſirmauit. Anno 1465. die 23. Nouembriſ ſupremum diem ſuū obiijt, altissimo ducum Saffoiæ ſanguine nata Margaretha, Montfortensis Comitissa. Ad eum diem, ne improuiſus eſſet, prudens femina dudum ſe ſe antea paraverat. Nam vt ſe D E O ſacram eſſe meminifſet, D. Dominici habitu tecta incedebat, ſæculi pompiſ ex animo abdicatis. Neque contenta fuit, ſplendorem mundi muliebris abjeciſſe, interiorem ornatum vt aſciceret, tenero corpusculo tunicam ē cilicio moleſtam injecit. Dies laboribus sanctis, noctes totas sanctis orationibus impendebat. Ita ſollicita Numini ſeruiebat. Sed addidiſ ei D E V S, neſcio quas podagræ pedicas, quæ eam à diuinis ſeruitijs impedire videbantur. Quæ pia femina duo identidem ſibi à ſuperis roganda censuit; &, vt preces eſſent valentioreſ, non D E V M dumtaxat, ſed etiam Dei parentem rogauit. Primum erat, incolumenta nepotis ſui, poſtea Cyprorum regis; alterum, vt podagræ cruciatus, apud ſe, mitigarentur. Decumbebat tunc grauiter nepos illius, & iam adextrema venerat, cùm illa ipſa nocte, quā credebatur moriturus, judicio & prognosi medicorum, Cæli Imperatrici MARIA, co- miteſ S. Catharina Senensi, clara ſe in luce illi viſendam præbens,

hit

Cap. XXXIV. Morborū decim. sexta cauſſ. ut futura meditemur. 363
his eam verbis affata est: Margaretha, quid optas? tuāmne fieri,
aut DEI potius voluntatem? Non longa deliberatione opus erat.
Illico igitur, animo promptissimo respondit: Vtq; DEI fieri vo-
luntatem. Mox igitur Deipara adjecit: DEI voluntas est, ut ne-
postum, adhuc ad bene moriendum imparatus sanitatem recuperet;
in autem usq; ad finem vita tua pedaḡa doloribus crucieris. Hac
voce auditā, exclamauit Margaretha: Benedictus DEVS in ater-
num, dummodo DEI in me, & non mea voluntas impleatur. Ne-
mo intra tam breve temporis spatium vel plus docuit, vel plus
didicit. Quoties enim cumque postea in morbi ardore posita
a visitantibus interrogabatur, quo loco res illius sita essent? respon-
dit, optimo. Quia voluntas DEI in me completur. Quod non est
aliud dicere, quām: Sicut Domino placuit, ita factum est, sic nomen
Domini benedictum.

Sic sentire, sic loqui, qui discunt ægrotantes, proximi sunt
perfectioni, omnesque morbi molestias, quas sustinent, æquo
animo exhauiunt; cogitant enim hos corporis dolores, non
diutiū, quām vitam istam duraturos; adeoque longè esse tol-
erabiliores, quām eos, qui impatientes manent, nullumque sunt
sinē habituri. Si igitur voluntas DEI est, ut patiamur, nec po-
tent voluntas DEI vim pati, nonnē præstat ad tempus tolerare,
quām tolerare æternū? Quod ipsum discimus, dum, quod ad
tempus toleramus, tam grauiter sentimus: quid enim sentire-
mus, si sciremus & videremus, sine fine, sine termino sentien-
dum? At quidquid hīc patimur; si volentes patimur, ad tempus
dumtaxat patimur. Quia in vita beatorum nihil est eorum, quæ
in his terris molestiam miseriamque pariunt. Siquidem absterget Apoc. 21. 4.
DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors ultrā non erit,
neg. luctas, neg. clamor, neg. dolor erit ultrā: quia prima abierunt.
Multæ sunt in hac vita lachrymis deflenda, labor, dolor, morbi,
variae calamitates; sed per has monemur, ut futuras ærumnas
magis æstimemus, vbi erit fletus & stridor dentium; earumque
loco aspiremus ad illam vitam, in qua omnes lachrymæ cessa-
bunt, quia & cauſæ illarum aberunt, non enim ibi erunt pec-
cata, non persecutores, non morbi, non dolores, non tristi-
tiae, non anxietates, quæ omnia extra cælum manebunt, in quod

III.

Zz 2

nihil